

DISSERTATIO JURIDICA  
*De*  
FRUCTIBUS

*Quam* 6 1671 5  
*Consensu & Autoritate Magnifici Jctorum Ordinis*  
*In Illustrissimâ ad Albim Wittebergâ* 6

PRÆSIDENTE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO  
*juxta ac EXCELLENTISSIMO*

DN. MICHAELE FRIDERICO  
LEDERERO,

Jcto & Antecessore in hac Almâ Leucorea Celeberrimâ  
Curia Electoralis Scabinatus & Facultatis Juridicæ Assesore  
Gravissimo,

DNO, Patrono desideratissimo, ac Promotore suo usq; & usq;  
devenerando,

Publicæ Eruditorum Ventilationi  
officiosè submittit

AUTOR & RESPOND:

JOHANN. SIGISMUNDUS Zannen-Ber.

W. S.

In Auditorio Jctorum  
ad diem 17. Junii An. 1671 LXXI.

Literis MICHAELIS MEYERI.

**VIRIS**  
**NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,**  
**EXCELLENTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,**  
**CLARISSIMIS *juxta ac* INTEGERRIMIS,**

**DOMINIS**  
**CONSULIBUS,**  
**SYNDICO,**  
**PRÆTORIBUS,**  
**CAMERARIIS,**  
**ac**  
**SENATORIBUS**  
**Inclytæ Reipublicæ WITTEBERGENSIS,**


**DNIS.** *PATRONIS suis inestimabilibus,*  
*PROMOTORIBUS Optimis Maximis,*

**Bonum, foelix, faustum, fortunatumque**  
**regimen.**

**ex totâ, totâ animi mente**

**devotissime**

**precatur**



**C**onferenti mihi in viridarium Ju-  
stinianeum, in oculos venit floscu-  
lus amœnus, qui usq; & usq; in per-  
benè constitutò forò floret, viget  
atq; suaviter olet, quem decerpendum censui,  
isq; FRUCTUS audit: Enim vero quoti-  
diana & usum in vitâ humanâ magnum im-  
portantia, secundum monitum tersissimorum  
Jctorum, sæpius, pleniusq; ob utilitatem, uti  
ad oculum patet, tum ex LL. subsequ. aureò  
calculò notandis l. 25. de liberat: legat. l. 1. de su-  
spect: tutor. tum, quia ea, quæ ὄντι τὸ πλεῖστον, i. e.  
ut plurimum accidunt l. 3. l. 4. l. 5. l. 6. de LL., sunt  
atingenda: Hocq; lippis & tonsoribus notissi-  
mum verivertium: De rarò contingentibus  
non sollicitus est Prætor, quod & in innumerabi-  
libus legum textibus sedem suam habet, vide sis  
l. 64. de R. J. Nov. 94. c. 2. optimè approbat. Er-  
gò igitur Dissertationis loco versatissimam no-  
bilis-

**S** *abilissimamq; materiam de FRUCTIBUS,*  
*quam pro ingenii mei tenuitate pertractavi, eli-*  
*gendam censui. Cum autem ut plurimum isti,*  
*qui disputationem elaborant, soleant ejusmodi*  
*munuscula chartacea VIRIS Gravissimis dedi-*  
*care & consecrare; eapropter non possum non*  
*etiam presens munusculum Vobis P. Conscri-*  
*pti jure Optimò consecrare ac dedicare, quod ut*  
*accipiatis serenà fronte, obnixè rogitò. VOS*  
*enim estis, qui beneficiis Vestris longè gratis-*  
*simis mihi laboranti succurristis: VOS estis, qui*  
*stipendii beneficio, uti vocatur, studiis meis pro-*  
*bè prospexistis: VOS estis, qui hactenus be-*  
*nigniori clementiæ aurâ meam tenuitatem com-*  
*plexi estis, & sic eam VOBIS, veluti adaman-*  
*tinò vinculò obligastis, ut nec modio, nec tri-*  
*modio, nec ipsò horreò satis dignas habere, ne-*  
*dum referre possit grates. Igitur eâ quâ par*  
*est reverentia ad V. Nobilit: pedes cum ma-*  
*nus osculò hanc incultam & minus elabora-*  
*tam disertationem depono. Quemadmo-*  
*dum autem haud semper munusculi magnitudo,*  
*do,*

do, sed offerentis animus mensq̄ attenditur;  
adeò ut inopum munuscula DEO Glorioso gra-  
tiora acceptioraque summis locupletum mu-  
neribus sint, audisis aureum & ad verbum  
ediscendum Poëtam Ovid: in suò lib: 2. Elegiar:  
de tristibus:

43

Sed tamen ut fuso taurorum sanguine cen-  
tum,

Sic capitur minimò thuris honore DEUS.  
Ita Magistratus, qui pietate & Justitia ad  
Immortalem DEUM proximè accedit, non rei  
oblatae magnitudinem & excellentiam, sed of-  
ferentis animum, voluntatemque intuetur.  
Idq̄ testatur pereleganter Erasmus Roter. in  
Convivio Fabuloso p. m. 433. de Ludovico Gal-  
liarum Rege loquens: Qui rapam vilissimam  
à Conone Agricola oblatam, majore alacrita-  
te, quam equum maximi pretii ac ponderis ab  
Aulico sibi donatum accepit; Sic etiam Vobis  
Patroni Desideratissimi, uti nullus dubito, hoc  
munusculum erit gratum atq̄ acceptum. Obni-  
xè tamen rogitò, ut plus quam Achilleo auctori-  
tatis

EA tatis scutō contra maligni livoris dentem hoc de-  
fendatis, meq; Vobis perpetuo commendatum  
habeatis. Tu autem Glorioso DEus, prospice  
hisce meis Promotoribus Optimis Maximis de  
corporis sanitate, deq; vita longevitate: Do-  
mibus ipsorum benedic: Asperge sale recreatio-  
nis arduos labores, quos ob Reipublica defensio-  
nem acriter in se suscipiunt. Ad extremum cu-  
ra, Benignissime DEus, ut florentes, vigentes,  
valentes ad summam usq; senectutem perveni-  
ant. Dabam in Perillustri ad Albim Univer-  
sitate die 17. Junii. Anno millesimo sexcentesimo  
septuagesimo primo à CHRISTO NATO

Vest: Nobil: Excellent:

ac

Prud: Clarit:

observantissimus  
debitor

AUTOR.

**P**er quem omnia confecta sunt, l. 2. §. 1. C. de Veteri jure enucl ad cuius adiutorium animum erigo meum, ut neq; ingenio confidam meo, sed omnem spem ad solam referam summe Trinitatis providentiam, unde mundi totius elementa processere & rerum dispositio in orbem terrarum producta est, l. 1. C. d. tit. ad omnia consilia, omnesq; actus perpetim rectè progredior, l. 2. in pr. C. de offic. pref. pret. Afric.

THES. I.

**T**ractationem fructus mihi suscipienti nihil prius, nihil antiquius, vel in ipsò vestibulò habendum, quam nominis ipsius naturam, quantum fieri potest, investigare. Originatione enim vocis cognitã in ipsius rei perceptionem persæpè nos provehi subtilissimus tradit Scaliger, Exerc. 1. sect. 1. & Exerc. 325. sect. 9. in fin. Vocabuli enim notatio, seu resolutio quodammodo naturam & substantiam rei declarat, vid. JOHANN. à REBERTERIA Jctus in Academ. Parisiensi LL. Prof. & in supremo Senatu causarum Patronus in suis Topic. lib. 1. cap. 7. fol. m. 5. Hinc etiam non infimi subsellii Juris Dd. admodum laboriosi fuere in enucleandã atqve enodandã verborum origine, hocq; per facilè probo ex l. 1. de Just. & Jur. l. 1. §. 1. de pactis l. 1. §. 1. de tutelis, l. 1. de furtis, §. 2. Inst. de tutel. §. 2. de obligationibus, quæ ex delict. nasc. Prin. de testã. ord. videat por-

A

rò cui

Fr Fr rō cui volupe est, citati autoris JOHAN. à REBERTER. pag. 6. b. *Sermoni autem Latiali voc abulum FRUCTUS natales debet suos, dictumq; à fruendo, quia percipiendo fructus re fruimur*, Isidor. lib. 17. Etymolog. c. 3. & 6. JOHANN. GOEDDE: ad l. 77. n. 1. de V. S. Varro de Lingva Latina lib. 4. DN. CUNRAD. Rittershus. in Comment. Inst. ad §. si quis à non Domino de R. D.

## THES. II.

Cognitā sic Etymologiā, ad cognitionem Homonymiæ ordine progredior, ob vulgatum illud, quod mihi perbenè arridet: *Omne Homonymum, seu multiple x prius dividendum quam definiendum.* Unde larvā æquivocationis nondum detectā intellectus, qui natura imbecillis ac debilis est, perfacilè fallitur, decipitur. Ergo hīc præmittendum necessario est, me non de *Impropriis acturum, quales Fructus matrimonii sunt Liberi*, vid. Paratitla WESENBECK, præprimis tit. de agnoscendis vel alendis liberis, aut *Partus ancillarum*, l. 14. de Usur. & fruct. l. 24. §. 1. ad leg. Falcid. HILIGER ad DONELLUM lib. 4. cap. 25. lit. b. §. in pecudum 37. Inst. de R. D. l. 68. pr. de usufr. & quemadm. *Cum absurdum sit hominem omnium animalium dignissimum præstantissimumq; in fructu esse, cujus gratia omnes omnino fructus rerum comparari*, l. 28. §. 1. de usur. & fruct. §. 37. Inst. de R. D. JOHANNES à REBERTERIA in suis Topic. lib. 1. cap. 6. p. m. 8. Nec ancillæ ad id comparentur ut pariant, l. 27. in pr. de hereditat. petit. Sed hominum fructus in operis consistat, l. 3. l. 4. de operis servorum. Nec *THESAURUS*, l. 3. §. 3. de acquir. vel amittenda possessione. Nec *VENATIO*, nisi fructus fundi ex venatione constet, l. 26. de usur. & fruct. vid. BRUNNEMAN. *Fructus celeberrimus* ad l. 26. de usur. & fruct. Ratio, cum prædio, aut fundo feræ bestiæ haud cohæreant, nec illo continen-

neantur, aut ex eò nascantur, *Wesenb.* in paratit. ff. de A. R. D. n. 7. Sed potius de *Propriis*, qui ex ipso rei corpore proveniunt, l. 12. §. 1. de usufr. & quemadm. l. 7. §. 13. soluto matrim. Donell. 4. comm. 25. & ibi Hillig. lit. b. *JOH. GOEDD.* ad l. 121. n. 3. l. 62. de R. V. l. pen. de usu & usufr. leg.

75

### THES. III.

Visà æquivocatione ad ipsissimam *Fructus* definitionem feliciter progredior & dico, quod generaliter sint omnes utilitates ex re aliqua, aut ejus occasione provenientes, l. 7. l. 9. in pr. de usufr. & quemadmodum, l. 29. de hereditat. petit, l. 19. l. 36. de usur. & fruct. vide prælectiones publicas *Speçtabilis Dn. DECANI, Viri Nobilissimi juxta ac Excellentissimi D. NERGERI, Patroni ac Promotoris mei observanter colendi* ad l. 7. de jure dotium. *Ludw.* ad l. 72. de R. I. n. 1. ut & *JOH. Strauch* disert. 18. aphor. 6. Magis enim proprie sumuntur pro utilitate, quæ ex ipso rei corpore ad istiusmodi emolumentum parato, percipitur, l. 62. de R. V. l. pen. de usu & usufr. leg. l. 12. §. 1. de usufr. & quemadm. l. 7. §. 13. soluto matrim. *JOHAN. GOEDD.* ad l. 121. n. 3. de V. S.

### THES. IV.

Perlustratâ sic reali definitione, de *divisione* ero sollicitus: Enimvero quælibet res divisa melius intelligitur, animumq; legentis incitat, mentem intelligentis benè præparat, memoriam artificiosè informat & difficultates ex permistâ traditione procedentes per separationem explicat, vide sis, *Speçtabilis Dn. DECANI, Viri Nobilissimi ac Excellentissimi D. NERGERI* lectiones publicas ad §. 1. l. 43 de jure dotium. *Dividuntur autem Fructus in Naturales, qui propriè ita dicti, Civiles qui impropiè ita dicti, audi iterum*

A 2

rum



27

rum *Prælect. publ. Spectabilis DN. DECANI jam jam allega-*  
*tas. JOHAN. GOEDDÆ: ad l. 77. n. 10. de V. S. STRU. in suis*  
*Evolut. ad tit. de R. V. th. 17. Prius de Naturalibus, qui ex i-*  
*psissimò rei corpore, ejusq; usu ad fruitionem utilitatemq; pos-*  
*seßoris proveniunt, vide JOHAN. STRAUCHII disertat. 18.*  
*aph. 6 ZOESI: ad π. tit. de usur. n. 40. ut & Declarationem*  
*Juris Civilis Vaconii à Vacuna 74. JOHAN. GOEDDÆ: ad*  
*l. 121. de V. S. n. 2. l. 62. de Rei Vind. l. pen. de usu & usufr. le-*  
*gat. l. 7. solut. matrim. WESENBE C. ad §. si quis à non do-*  
*mino 35. num 8. vers. fructus Inst. de R. D. ibid. Schneidew.*  
*n. 3. MTNSING. n. 7. Coras. lib. 5. miscell. c. 9. Naturales*  
*rursum sunt, vel omnino tales, qui culturam atq; industriam*  
*humanam notabilem baud requirunt, v. c. fœnum, cerasa, po-*  
*ma, pyra, nuces, glandes, lex fructus 45. de usur. & fruct. l. 62.*  
*vers. nam etsi de R. V. WESENBE C. in paratit. ff. de usur. &*  
*fruct. n. 16. Item lana, lac, l. 28. in pr. d. tit. Vel Industriales,*  
*quos natura quidem etiam ex corpore rei producit, sed non so-*  
*la, verum accedente labore, curâ & industriâ humanâ, §. si quis*  
*à non domino 35. Inst. de R. D. l. 25. §. 1. de usur. & fruct. Dn.*  
*JOH. STRAUCH disert. 18. aph. 6. ZOES. ad π. de usur. &*  
*fruct. n. 40. l. Bonæ fidei 48. §. 2. de A. R. D. l. 45. de usur. &*  
*fruct. uti est triticum, bordeum, spelta, briza, far, ador, vicia,*  
*avena, nec milium & panicum, quæ omnia frumentorum ge-*  
*nera ex sparsò nascuntur semine, excludo, GOEDDÆ: ad l. 77.*  
*n. 3. de V. S. Huc refero foetus ovium, quia in his alendis maxi-*  
*ma sumptuosa impensa requiruntur, sine quibus foetus parvi*  
*astimarentur, vid. JOHANN. à REBERTERIA Jct. in*  
*Academia Parisiensi LL. Prof. disput. Jur. lib. 4. in libr. In-*  
*stit. p. m. no. b,*

THES.

In præcedenti thesi distinctionem feci inter Fructus Naturales atq; Civiles, de Naturalibus dixi; Jam recta progressum facio ad *civiles Fructus*, qui non proprie, sed *natura generatiōis tales sunt, nec ex ipsò corpore nascuntur, sed ratione rei percipiuntur jure Civili*, Dn. JOHANN. STRAUCH. disert. 18. aphor. 6. JOHANN. HARPPRECHT. ad J. de usufr. §. constituitur, n. 100. WESENB. in paratit. ff. de usur. & fruct. n. 16. exempl. grat. *usura, pensio, interesse*, l. 36. l. 34. de usur & fruct. l. si navis 62. vers. nam & si de R. V. l. usura pecuniæ 121. de V. S. vide sis declarationem juris Civilis Vaccinii à Vacuna 74. Enimverò res natura sterilis fructum producere proprie nequit, l. 62. de Rei vind. Hinc ex Aristotele Peripateticorum Principe monstrum est, ut pecunia generet pecuniam, quia pecunia est res sterilis. Sed responsio est in promptu, quippe respectu sui ipsius est sterilis, sed non est sterilis ratione commutationis & usus, exempl. grat. Hypocaustum est sterile & nihilominus tamen producit fructus, accedente nempe industriâ humanâ; plura, qui desiderat, adeat si lubet *Rectoris Magnifici, Viri Nobilissimi ac Excellentissimi D. LEDERERI discursum privatim communicatum* ad disputat. 13. SCHNOBEL. cui pro navata studiis meis fidelissima opera, haud unquam satis dignas referre possum grates. Unde usuræ fructuum duntaxat vicem obtinere dicuntur, l. 34. de usur. & fruct.

## THES. VI. &amp; VII.

Hactenus de fructibus ratione sui ipsius consideratis egi atque tractavi. *Nunc non inconcinne erit, si de fructibus, qui considerantur partim ratione hominis, partim ratione fundi*

87  
*fundi agam: Suntq; vel extantes, vel consumpti: Extantes dicuntur, qui revera in possessoris, vel Domini bonis reperiuntur, W E S E N B. ad §. si quis à non domino 35. n. 8. Inst. R. D. Et hi vicissim sunt vel pendentes vel percepti: Pendentes, Germanicè noch stehende / qui nondum sunt separati à solo, licet jam jam nati atq; formati, l. 12. §. 5. l. 27. in pr. de usufr. & quem adm. & hi censentur pars fundi, in l. 44. de Rei vind. l. 61. §. 8. de furtis, vide Juris Interpretem Subtilissimum J C t u m BRUNNEMANNUM ad l. 44. de Rei vind. n. 1. Pendentes porrò sunt vel maturi, vel nondum maturi, l. 13 §. 10. de action. empt. & vendi §. is vero 36. Inst. de R. D. Percepti, qui simul atq; à re, qua tenebantur, quocunq; modo separati sunt, licet in borrea nondum reconditi, ob sic schon noch nicht eingesamlet vid. J C t. SICHARD. Tomus I. in Codic. de Rei vind. l. 5. n. 3. Dn. HAHN. in Observ. ad ff. quibus modis usufr. amitt. num. 3. l. 13. eod. l. 25. §. 1. de usur. & fruct. l. 48. de A. R. D. Huc referri possunt etiam prælectiones publicæ Spectabilis Dn. DECANI, Viri Nobilissimi Excellentissimiq; D. NERGERI Patroni ac Promotoris studiorum meorum omni observantia cultu de venerandi ad §. 1. l. 7. de Jure dotium, videatur optimus textus in l. 78. de Rei Vind. Ubi jctus perceptos fructus secundum communem significationem describit: Fructuum perceptionem etiam accipere debemus, non si perfectè collecti, sed & cœpti, i. e. quoq; modo à solo separati, ut terra continere se fructus desierint, exempli causa: Si olivæ, uvæ lectæ, nondum autem vinum, oleum ab aliquo factum sit: Cujac. II. obs. 39. Z O E S. in comment. ad π. de A. R. D. n. 64. Percepti porrò sunt vel revera percepti, vel qui percipi potuerunt honestè, nondum autem percepti vulgo percipiendi dicti, l. 33. de R. V. Consumpti tandem sunt, qui vel alienati vel consumpti in-  
que*

que bonis possessoris esse desierunt, l. 25. §. ii. de heredit.  
petit.

47

THES. IIX.

Huc usque de fructibus obiter disserui: Jam nunc  
ad acquisitionem eorundem paucis pergendum est,  
quæ, ni fallor, pro personarum diversitate multiplex de-  
prehenditur: Quippe Jure servitutis usufructuarius perci-  
pit fructus, si ipsemet eos perceperit, §. is vero 36. Inst. d. R.  
D. Ex hisce fluit jucundus & elegans casus: Titius usufru-  
ctuarius fructibus jam maturis nondum tamen perceptis dece-  
dit: Jam questionis est numnam ad ejus heredes, numnam  
verò ad proprietatis dominum fructus maturi pertineant?  
Ratio dubitandi esse potest eos spectare ad heredes, cum  
una eademque sit persona heredis & defuncti, Nov. 48. in  
præfat. Rudwel de divers. R. I. antiq. ad l. 42. n. 8. Sed  
ratio decidendi depromitur ex LL. subsequ. quia usufru-  
ctus est jus personale, quod cum personam defuncti extin-  
ctum censetur, §. pen. Inst. de usufr. l. 54. d. R. J. §. is vero  
36. Inst. d. R. D. l. 12. §. 5. de usufr. & quemadm. l. 196. d. R.  
J. capit: privilegium 7. de R. J. in 6to. Hoc etiam nullam  
sapit iniquitatem; quamvis in thesi æquum sit, ut usufru-  
ctuarii heres impensas infundo factas ab usufructuario,  
consequatur; Illud autem hic plane nihil facit, propterea  
quod contra illi fructus, qui sunt eò tempore quò dies usus-  
fructus legati cedit pendentes & maturi ad fructuarium  
pertinent, l. 27. pr. de usufruct. & quemadm. vid. Dn.  
Hahn. observat theor. practic. ad Wesenb. n. 3. tit. quibus  
modis ususfr. amitt. Ab hoc tamen jure civili divortium fe-  
cit Jus Saxonicum, ibi enim: Was die Egede bestrichen  
und

77

und die Hecke bedeckt hat / das folget dem Erbe : Et  
ita non perceptionis, sed culturæ rationem habet, Land-  
recht lib. 3. art. 76. & 77. Dn. CARPZ. p. 3. c. 32. d. 5. FIN-  
CKELTHUS. obs. 54. Dn. Richter decis. 56. n. 4.

### THES. IX.

Thefin præcedentem excipiunt quæstiones subse-  
quentes. (1) *Num Bonæ fidei possessoris conditio sit me-  
lior, num verò usufructuarii?* Resp. Bonæ fidei posses-  
oris: Ratio est, quia plus juris habet in fructibus percipien-  
dis, dum etiam fructus ab aliò sine ipsius mandatò fure  
fortè à terrâ separatos ad heredes transmittit, l. 25. §. 1.  
versu præterea de usuris & fruct. Fructuarius autem non  
aliter, quam si ipsemet, vel alius ejus nomine fructus per-  
ceperit, §. is vero 36. inst. de R. D. l. 13. quibus modis usus-  
fr. amitt. l. 25. §. 1. de usur. & fruct. Unde si fur fructus de-  
cerpserit, aut defecuerit, hi non fiunt fructuarii, & ideò  
nec conditio furtiva Domino tantum competens, sed ac-  
tio furti eidem tribuitur, l. 12. §. 5. de usufr. & quemadm.  
(2) *Num oliva, quæ per se ipsam decidit ad fructuarium, num  
ad proprietarium pertineat?* Resp. ad proprietarium,  
tum, quia percepisse olivam fructuarius non videtur, qui  
eam quæ per se decidit, sustulit: Tum, quia opera sua, vel  
per alium eam non percepit, l. 13. quibus modis u-  
susfruct.

### THES. X.

*De cetero non possum non convenientiam atq; differen-  
tiam Coloni ut & usufructuarii paucis attingere: Qvippe,*  
con-

48

*conveniunt, quod uterque fructus non faciat suos nisi ipse-  
met eos perceperit, non autem si alius, l. 61 §. 8. de furtis  
l. 60. §. 5. locati conducti. Et ex indè Colono ratione fru-  
ctuum furto ablatorum non datur condictio, sed actio  
furti, quia ipsius inter est fructus non esse surreptos, cum  
alias eos fecisset suos, l. 26. §. 1. de furtis. Differunt quod  
colonus nudam tantum ex jure ad rem habeat detentio-  
nem; Usufructuarius verò ex jure in re & sic longe firmio-  
ri fundum possideat jure. Deinceps, quod heres in lo-  
cum coloni intra tempus conductionis mortui succedat,  
l. 10. C. de locato cond. §. ult. Inst. eod. Usufructuarius ve-  
rò jus suum ad heredes non transmittat, §. 3. Inst. de u-  
sufrect.*

THES. XI.

Percipimus etiam jure domini omnis generis fru-  
ctus sine controversia, quod notissimi est juris, quodque  
pater ad oculum ex innumerabilibus juris textibus, præ-  
primis autem sequentes mihi in præsentiarum arrident, §.  
item ea. 19. Inst. de R. D. l. 6. l. 2. de A. R. D. l. 25. in pr. de  
usuris & fructibus.

THES. XII.

Hic loci quidem primitus quicquam in medium  
proferendum esset, de digniore, nempe bonæ fidei pos-  
sessore; sed ἕτερον ἀγῶνιστον hic committere haud perpe-  
ram erit: Tum, quia ut plurimum malæ fidei possessores  
hisce in terris reperiuntur: Tum, quia etiam primario  
Legum latores subtilissimi, ingeniosissimi que sunt de iis,  
B quæ

27

quæ ἐπι τὸ πλεῖστον accidunt solliciti. *Mala fidei possessor restituere cogitur omnes fructus, tam consumptos, quam exstantes & tam percipiendos, quam perceptos* Dn. JOH. STRAUCH. disert. 18. aphor. II. Nobiliss. Dn. D. Christ. Hartmann Lederer promotor Studiorum meorum observantissimus in prælect. privat. ad §. 35. J. de R. D. l. 62. §. 1. l. 33. de Rei vind. l. 39. §. 1. de legat. 1. l. 10. §. 20. quæ in fraudem creditor. §. si quis à non domino 35. Inst. de R. D. l. 22. C. de rei vind. l. qui scit 25. de usur. & fruct. *Sive ex honestâ causâ, sive ex in honesta, ut ex lupanari, l. 27. §. 1. de heredit. petit. ratio est, quia malæ fidei possessor ex re aliena nullos omnino fructus, nulla lucra percipere debet; idque ideò ut delictis occurratur, vid. Dn. CUNRAD. Rittershus. in comment. Inst. ad §. 35. de R. D. Zoësius in comment. ad ff. de A. R. D. n. 68. Est alias quidem differentia inter eum, qui sine titulò possidet, & illum qui cum titulò, sed quoad fructuum restitutionem inter illos nulla est differentia: Enim verò titulus malam fidem non mutat sive injuriam, quæ afficeretur petitor, quam titulus nulla in re minuit. Quid enim aliud est titulum adhibere quam fraudi latebram & injuriæ prætextum quarere, ut alienâ in re liberius grasari liceat? l. 6. de suspectis tutor. Non obstat l. 17. C. de Rei vind. ubi dicitur, eum, qui emit rem alienam esse bonæ fidei possessorem, cum titulus inducat bonam fidem, & tamen teneri omnes fructus restituere. Resp. emptorem ibi constitutum fuisse in malâ fide ob denunciationem factam à verò Domino, ideoque omnes fructus restituere coactum fuisse. Ex jam jam dictis fluit quæstio aureò calculò notanda: *Utrum ista restitutio omnium fructuum sapiat iniquitatem?* Resp. neg. *Qui**

49  
Quilibet enim, uti fuse tradit Ictus summus Imperator sa-  
cratissimus in l. ii. C. unde vi, scire debet, quod suum non  
est, hoc ad alios modis omnibus pertinere: Præterea cul-  
pa est immiscere se rei ad se non pertinenti, l. 36. de R. J.  
capit. non est sine causa 19. de R. J. in 6to. l. 4. §. 2. finium  
regund. Quippe cum mala fidei posesor sciens alienum  
fundum occupat, nemini nisi sibi ipsi hoc imputare debet,  
quando fructus etiam consumptos restituere cogitur;  
Quia qui damnum culpa sentit sua non intelligitur dam-  
num sentire, l. 203. de R. J. capit. damnum. 86. de R. J. in  
6to. l. 46. §. 5. de procurator. l. 9. l. 17. de noxalibus action. l. 15.  
si quis omista causa.

THES. XIII.

Recta nunc via progressum facio ad bonæ fidei posses-  
sorem, qui omnes omnino fructus tam naturales, quam indu-  
striales consumptos irrevocabiliter suos facit, §. si quis à non  
domino 35. J. de R. D. Bonæ fidei, 48. de A. R. D. l. 136. de  
R. J. l. 25. pr. §. 1. de usur. & fruct. l. in pecudum 28. d. tit. l.  
78. de Rei Vind. Bronchorst centur. 3. asfert. 78. Harprecht  
ad §. si quis à non domino 35. n. 35. & seqq. Ante consumpti-  
onem vero revocabiliter, quia, consumptio demum plene &  
irrevocabiliter fructus bonæ fidei possessori acquirit, Fach.  
1. cent. 57. l. 48. §. 1. de A. R. D. l. 4. §. 2. finium regund. §. 2.  
Inst. de Officio jud. l. 22. C. de Rei Vind. Post consumptio-  
nem irrevocabiliter etiam si factus sit locupletior, l. 4. §. 2. fi-  
nium regunt. §. si quis à non domino 35. Inst. de R. D. Dn.  
JOHANN. STRAUCH disert. 18. aphor. 9. & 10. Bonæ  
fidei enim possessori in percipiendis fructibus id juris tri-  
butum, quod dominis prædiorum competit, l. 25. §. 1. de  
usur.

27  
usur. & fructib. Hinc ex præcedentibus fluit quæstio.  
Num. nam Bona fidei possessor olivas, quæ fructus naturales  
sunt & sola prope natura, æq. ac pyrum, pomum & ceteri  
naturales fructus proveniunt, suos faciat, l. 42. de usu & u-  
suf. legat. l. 78. de R. V. ? quod affirmo, cum omnes fructus  
non jure seminis, sed soli percipiantur, l. 25. §. 1. de usur. l. 45.  
de A. R. D.

#### THES. XIV.

Porro disquiritur de pendentibus re evictâ, num resti-  
tuendi veniant à bona fidei possessore ? Resp. quod sic, quia  
pars fundi censentur, l. 44. de R. V. l. 22. C. eod. l. 12. §. 11.  
de instructo & instrumento legato, l. 61. §. 8. de furtis §. 32.  
de R. D. l. 9. de A. R. D. neque enim amplius semen, quod  
solo injectum est inspicitur, sed solum in quod injectum  
est, l. 25. §. 1. de usur. & fruct. l. 11. C. de R. V. præcipue, si lis  
contestata fuerit, quia post eam incipit esse mala fidei pos-  
sessor; videt enim rem esse alienam. Denique, quia  
fructus pendentes cedunt solo, ad quem nempe spectat  
totum, ad eundem & partem pertinere indubitatum exi-  
stit, capit. accesorium 42. de R. J. in 6to. l. 76. in pr. de R.  
V. Unde & is, qui agrum alienum bonâ fide consecit pro-  
pter jus accessionis semen repetere non potest; Ut tutus  
satis sit contra dominum soli æstimationem seminis resti-  
tuere recusantem exceptione doli mali, dummodo in  
possessione agri illius adhuc constitutus sit, l. 9. pr. de A. R.  
D. l. 11. C. de R. V. §. 32. Inst. de R. D. Jure quoq. Saxonico  
frumenta in alieno solo sata ad dominum fundi, ita tamen ut  
bona fidei possessori æstimatio restituatur, pertinere, testatur  
B. DN. CARPZ. l. 1. R. 100. n. 13. & seqq. vid. Etiam Glos.  
jur.

jur. Sax. in art. 49. lib. 2. ubi famosissima traditur regula: *Qui colit fundum bona fide, lucratur fructus: Qui verò mala fide illos perdit*, Germanicè. Wer das Land unvorsentlich besäet/ der behält seine Arbeit/ wer das vorsentlich thut der verleiret seine Arbeit. Schneidew. in comment. J. de R. D. §. 23. Schulz in sua synopsis. p. m. 82.

50

THES. XV.

Quod autem bonæ fidei possessor non secus ac Dominus regulariter percipiendo omnes omnino fructus suos faciat, duplex ratio in promptu est: *altera principalis bona scilicet fides, ut nempe ignoret rem esse alienam, aut eum, qui alienat jus alienandi habere putet*, l. bonæ fidei 109. de V. S. videat cui volupe est lectiones publicas ad J. §. 35. de R. D. Magnifici Dn. Rectoris Viri Nobilissimi atq; Excellentiss. D. LEDERERI Patroni mei submissè de venerandi. *Alteram principalis Cura atq; cultura, quæ ratio licet in fructibus naturalibus, quos sola natura sine ulla, aut certe exigua cura hominis producit deficere atq; cessare videatur, nihilominus tamen bonæ fidei possessori acquiruntur æque ac industriales, etsi natura sine industriâ humanâ, vel omnino, vel vix & parcissimè illos producere soleat*, l. 48. pr. de A. R. D. Quoniam & in naturalibus fructibus bona fides tantundem possidenti præstare debet, quantum veritas & rei Dominium, l. 136. de R. J.

THES. XVI.

Non possum non etiam paucis attingere impensarum materiam; partim quia fructus non intelliguntur nisi de-

B 3

si de-

si deductis impensis, l. 39. §. 1. de V. S. vide lectiones publicas Magnifici D. ZIEGLERI, Patroni ac Promotoris studiorum meorum atatem devenerandi ad cap. 7. X. de jurejur. notabil. 2. l. 36. §. fin. de heredit. petit: Dn. JOH. COPUS defructibus lib. 1. tit. 1. cap. 6. Schneidew. ad §. 35. Inst. de R. D. n. l. 7. in prin. soluto matrim. l. 1. C. de fructibus & litium expens. Partim quia sic fieret locupletior dominus cum jacturâ aliena, l. 206. de R. J. capit: locupletari 48. de R. J. in sexto, l. 14. de condict. indebiti, l. 66. eod. l. 38. de hereditat. petit. Circa impensas hic in antecessum annoto, quidnam sit tollere, & quidnam deducere: *Deducere impensas est rem, in quam impense factæ, jure exceptionis tamdiu retinere, donec impensarum æstimatio præstetur. Tollere vero jus retinendi aut recuperandi æstimationem non tribuit, sed tantum quod impensum re ipsa salva auferendi. Impense autem sunt triplicis generis: Necessariæ aliæ, aliæ Utiles, aliæ deniq; Voluptuaria, l. 79. de V. S. l. 1. de impensis in res dotales factis. Necessarias impensas paucis prius saluto, quas tam bonæ, quam malæ fidei possessor deducit, l. 8. de pignorat. act. l. 7. §. 19. soluto matrim. toto tit. de impensis in res dotales fact. l. 18. §. 2. commodati vel contra l. 38. de petit. heredit. l. 5. C. de R. V. vid. SCOTANI Examen juridicum p. m. 241. Dn. JOH. STRAUCHII disertat. 18. aphor. 1. Est tamen insignis discrepantia inter malæ & bonæ fidei possessorem. Bonæ fidei possessor eas deducit, sive res in quam factæ sunt extet, sive non. Malæ fidei possessor tum demum si res extet & melior reddita, l. 38. de heredit. petit. Ratio hujus deductionis videtur esse necessitas impendendi; quippe si factæ non fuissent, res aut peritura, aut deterior futura fuisset, vid. Dn. ILICONIS UMMII disputat ad procesum judicarium directam 22. thes.*

51  
thes. i. n. 4. l. 79. de V. S. l. 1. §. 1. de impensis in res dotales  
factis, uti sunt refectiones, instaurationes rerum, l. 14. de  
impens. in res dot. Hoc extenditur etiam ad fures, rapto-  
res, violentos inuasores: Nec imputari potest prædoni ul-  
la culpa, quod in rem alienam sciens impensas fecerit ne-  
cessarias: Quia si eas impensas non fecisset res peritura  
fuisset, eoque nomine malæ fidei possessor conveniri po-  
tuisset, l. 38. de hereditat. petit. l. 36. §. 5. in fin. eod. l. 5.  
C. de Rei vind. l. 38. ff. eod. vid Dn. JOHANN. STRAUCH.  
dissert. 18. aphor. 1. ut & Tomum 2. HARPRECHTI ad In-  
stit. de usufr. §. constituitur 2. n. 98. Et licet domino vindi-  
cationem instituenti absque pretii refusione res sua libera  
sit præstanda per textum expressum in l. 2. C. de furtis,  
cum quo congruit Constitutio Criminalis CAROLI V.  
art. 213. ibi ohne Beschwerung & art. seq. ibi, niemand  
nichts schuldig sey: Excipiuntur tamen sumptus neces-  
sarii in rem furtivam, puta sustentationem pecoris facti, d.  
art. 213. vers. Dann allein ob solches essend Vieh / und  
ziemliche nothdürfftige Azung darauff gegangen we-  
re / dieselbe Azung doch ohne überfluß zu bezahlen.

THES. XVII.

Jam ad utiles impensas, quæ rem reddunt meliorem  
atque fertiliorem, l. 14. §. 1. de impens. in res dotal. fact. pro-  
gressum facio, quas bonæ fidei possessor uti necessarias de-  
ducit, nisi petitor aut dominus vindicans sit pauper, ita ut  
satisfacere impensarum nomine nequeat: Tunc enim ex  
æquitate bonæ fidei possessor tollit tantum, dummodo  
fundi facies inde non reddatur deterior. l. in fundo alieno  
38. de R. V. l. 38. in fin. de heredit. petit. Malæ fidei possessor  
autem sine læsione prioris status tollere tantum utiles po-  
test,

test, concurrentibus tamen hisce tribus requisitis: Primo ut fundus, vel res, in quam impensæ sunt factæ, non deterior exinde reddatur: Deinde ut Dominus non sit paratus tantum dare, quantum possessor illis sublatis habiturus esset: Tum denique ut impensis illis sublatis, aliquid inde possessor, habiturus sit; alias imputandum ei, qui sciens ac nulla urgente necessitate in alienam rem impendit, l. 203, l. 155. de R. J. capit. scienti 27. cap. damnum 86. de R. J. in sexto.

THES. XVIII.

Deniq; ad eas impensas, quæ ad voluptatem duntaxat & ornatum speciei pertinent devenio, l. 7. pr. de impens. in res dotal. fact. l. 79. §. 2. de V. S. videatur DN. JOHANN. STRAUCH. disert. 18. aphor. 4. Quibus omissis res deterior non fit; cujusmodi sunt balnea non necessaria, aquæ salientes, haud natura è terra rumpentes ac salientes, sed artificio deductæ atque derivatæ: Viridaria, incrustationes, loricationes, picturæ, l. 39. §. videamus, i. de heredit. petit. Verum enim vero si vult habere rem dominus, æquum est, ut reddat, quæ impensa sunt à bonæ fidei possessore. Si non vult habere, pati debet ut tollat, si modo recipiant separationem, l. 39. de petit. heredit. Ita enim bonæ fidei possessor servat eas per circumventionem aliquam objecta doli exceptione, si & dominus tales factururus fuisset, l. 39. §. i. d. tit. Cæterum bonæ fidei possessor etiam eas deducere potest quatenus cedere quatenus possunt in utilitatem domini, l. 38. de R. V. Alias malitiis hominum non est indulgendum, ut cuiquam sine suo commodo aliis officere liceat; puta tectoria inducendo, disturbando, picturas corradendo, cancellando, l. 38. de R. V. Malæ autem fidei possessor

lesor eas tantum sine rei dispendio tollit, l. 39. §. videamus  
de hereditat. petit. vid. SCOTAN. Exam. Juridic. p. m. 242.

Quid autem si salva rei substantia tolli nequeant vel radi?  
Resp. pro amissis habentur, l. infundo 38. de R. V. l. 9. de im-  
penlis in res dotales factis.

In nobilissimâ hac fructuum materiâ pro in-  
genii imbecillitate, rationeq; instituti lustrasse  
hæc sufficiat. Humeros meos impares esse huic  
labori fateor, nec admittunt ingenii mei vires  
omnia enucleare atq; enodare, quia gravissima  
utilisimâq; fructuum materia in varias incur-  
rit materias; Hic quidem adhuc per multa an-  
notari potuissent; Verum enim vero pagina-  
rum mearum angustia haud capit omnia: Ea pro-  
pter si forte an alicubi aberrârim vel penicillum  
perperam adhibuerim, hoc mihi condonabit Be-  
nevoli Lectoris Candor, ob verba aurea acce-  
drô digna, ad quæ provoco: In nullo aberrare,  
seu in omnib; irreprehensibilem, seu in emendabi-  
lem esse divinæ utiq; solius, non autem mortalita-  
tis est constantia, l. 2. §. 13. C. de veteri jure enu-  
cleando. Videsis porro sacratissimum Justinia-  
num in Confirmatione ff. S. si quid 13. Ad extre-  
mum Glorioso DEO, cum quo meos auspiciatus

C

sum

sum labores pro clementi assistentia, quâ mihi adesse voluit, immortales persolvo grates, eumq; flexis manibus, ut imposteriorum studiorum meorum curriculum, omnesq; actiones, Spiritus Almi ductu dirigere haud dedignetur, imploro. Cui Sanctissimo, Sapientissimoq; DEO Patri, Filio, & Spiritui Sancto sit laus, honor, gloria in omnem eternitatem.

#### AUCTARIA seu COROLLARIA.

PRæcedentia excipiunt duo corollaria, inter quæ, quæstio de liberis è nefario coitu natis primum sibi vendicatur locum. Numnam liberi è nefario atq; incestuoso coitu nati, e.g. ex nuptiis inter parentes & liberos contractis vel etiam inter fratrem & sororem à parentibus sint alendi? Utor in gravi hac quæstione placabilis atq; amabilis distinctionis foedere inter jus Civile & Canonicum. De rigore juris Civilis ejusmodi liberis denegantur à parentibus alimenta, nov. 74. cap. ult. & 89. cap. 15. auth. ex complexu C. de incestis nuptiis. auth. licet patri in fin. C. de naturalibus liber. HAHN. in suis Observ. theoret. Pract. ad W E S E N B. de agnoscend. vel alend. liber. n. 4. Quem rigorem juris Civilis mitigasse creditur jus Canonicum in capit. cum haberet. 5. in fin. extr. de eo, qui duxit in matrim. FÖRST. lib. 6. cap. ult. FACHIN lib. 6. cap. 10. M T N S I N G. centur 3. obser. 91. GAIL. 2. observ. 88. Schults in sua Synopsi, p. m. 221. Ratio quæ nititur jus Civile consistit in odio libidinum & studio atq; amore castitatis, quæ videlicet magis in hominibus reprimetur carnis luxuria ipsiq; parentes in liberis coercen-

cerentur & punirentur. Ergone hoc in odium liberorum?  
 Resp. neg. Sed in odium & pœnam ipsorum parentum est in-  
 troducendum, huc referri possunt Magnifici Rectoris, Viri No-  
 bilissimi atq; Excellentissimi D. LEDERERI, Patroni mei  
 usq; & usq; de venerandi Lectiones privatae ad tit ff. de agno-  
 scendis vel alendis liberis. Exceptio tamen est, nisi ma-  
 trimonium per errorem inter prædictas personas contra-  
 ctum, l. 4. C. de incestis nuptiis. Quæ exceptio etiam lo-  
 cum habet in jure Saxonico, ibi: Liberi ex matrimonio  
 per errorem contracto, cum ea persona, cum qua connu-  
 bium interdictum, nati pro legitimis reputantur per te-  
 xtum Landrecht lib. 3. art. 27. Concludunt ex his adductis  
 dissentientes, Ergo liberi fame interire necesse habent?  
 Resp. Magistratus ex officio liberis alias fame perituris ali-  
 menta decernit. Ludwel in suis exercit. disput. 10. thes. 2.  
 lit. K.

II.

Quæritur porro, num fœmina sit homo? Prima fronte  
 hæc quæstio videtur esse nullius momenti, tum, quia hoc  
 ex sacra pagina hinc inde, præprimis ex capite 1 ver. 27 c. 2.  
 5. ver. 2. Genes. patescit. Tum etiam, quia ex legibus Civi-  
 libus probe id cernere licet, videatur Optimus textus in  
 l. 152. de V. S. ubi verba clara & intellectui obvia; Hominis  
 appellatione tam fœminam, quam masculum contineri  
 non dubitatur. Nobilis. atq; Excell. DN. D. LEISER, Patro-  
 nus meus venerandus in prælect. public. ad l. 1. C. ad legem  
 Corneliam de Sicar. l. 52. l. 163. §. 1. l. 1. 195 de V. S. l. 16. de jure  
 fisci. l. 3. § 1. de negotiis gestis. l. 3. §. 1. de libero homine exhi-  
 bendo, l. 7. § 1. de jurisdic. l. 62. in fin. de leg. 3. Ex hisce ad-  
 ductis satis superq; ad oculum patet, fœminam æque ho-  
 minem esse quam marem. Non dicam tamen CUJA-  
 CIUM

C 2

C IUM




22

CIUM *JC* *et* *h* *alias* *admodum* *celebrem* *obser.* *21. lib. 6. aper-*  
*tè* *contrarium* *statuere*, *quod* *depromit* *ex* *l. aureo* *calculo*  
*notanda*, *38. §. 5. de* *pœnis*: *Ubi* *verba* *sequentia*: *Qui* *abor-*  
*tionis*, *aut* *amatorium* *poculum* *dant*, *etsi* *dolo* *non* *faciant*,  
*tamen* *quia* *mali* *exempli* *res* *est*, *humiliores* *in* *metallum*, *bo-*  
*nestiores* *in* *Insulam*, *amissa* *parte* *bonorum* *relegantur*: *Quod*  
*sic* *MULIER* *aut* *HOMO* *perierit* *summo* *supplicio* *affi-*  
*ciuntur*. *Ex* *hisce* *verbis* *ad* *umbilicum* *hujus* *§. 5. positis*  
*concludit*, *foeminam* *haud* *esse* *hominem*: *Verum* *enim*  
*vero* *affirmativa* *pace* *tanti* *viri* *verior* *mih* *videtur* *sen-*  
*tentia*. *Distingvo* *namq;* *inter* *poculum* *abortionis*, *quod* *soli*  
*propinatur* *mulieri*, *nunquam* *viro*, *Et* *inter* *poculum* *amato-*  
*rium*, *quod* *tam* *viro* *quam* *foemina* *propinari* *potest*. *ME-*  
*NOCH.* *de* *arbitr. jud. q. cas. 3, 7.* *Hinc* *enim* *nulla* *est* *oppo-*  
*sitio* *inter* *mulierem* *&* *hominem*. *Si* *eo*, *inquit*, *JC* *rus*  
*Paulus*, *mulier* *subaudi* *abortionis* *poculo*, *aut* *repete* *ama-*  
*torio*, *homo*, *hoc* *est*, *vir* *vel* *foemina*, *quam* *qvæstionem* *ita*  
*enodabat* *explicabatq;* *Vir* *Nobilis. juxta* *ac* *Excellentissimus*  
*DN. D. WILH. LEISER, Patronus* *meus* *et* *atem* *de* *veneran-*  
*dus*, *cum* *explicaret* *publicè* *l. 8. C. ad* *L. Cornel. de* *Sicar.*  
*Goeddæ. ad* *l. 1. de* *V. S. qui* *hac* *de* *qvæstione* *etiam* *fusè*  
*lateq;* *tractat*, *ut* *&* *DN. HAHN ad* *WESENB. de*  
*Sicar. num. 5. qui* *præclare* *hoc* *etiam*  
*ostendit.*

FINIS.



En


  
**E**N age! felici conscendas o-  
mine docta  
Pulpita, mercedem Diva  
Themista dabit.

P R Æ S E S.


  
**D**E fructibus dum disputas  
*Fructus feras quàm plurimos!*

ita voveo

ABRAHAM CALOVIUS, D.


  
**S**ic didicisse juvat sacrati dogmata Juris,  
Sic Themidos Cathedram non sine lau-  
de subis;

Ardena

42

Ardentis studii jam nunc de FRUCTIBUS Ipse  
TANNENBERGE edes egregium specimen:  
Gratulor his coeptis, quæ summus Jova lecu-  
det,  
Qvo Patrie laudes condecorare queas!

*In honorem Dni. Autoris applaudente manu  
addebat hæc*

*V Vern. Theodorus Martini, D. & P. P.*



Sic DEUS ex alto susceptos ipse labores  
Prosperat & diva coepta secundet ope,  
Sic & abundantem messem largitur honoris  
Istis, quos preslit duriter ipse labor.  
Gratulor hanc sortem, Tibi quæ suavissime Amice  
Obtigit, at Patriæ gaudia mille dabit.

*Hæc Clarissimo Dn. Autori Amico suo singula-  
riter colendo grat. vol.*

Christianus Hartmannus Lede-  
reus, U. J. D.



ULB Halle

3


001 554 379




SB

1011







Farbkarte #13

B.I.G.



IO JURIDICA  
 Des  
 TIBUS  
 Magnifici Jctorum Ordinis  
 Albim Wittebergâ  
 IDENTE  
 MAGNIFICO  
 PLISSIMO, CONSULTISSIMO  
 LLENTISSIMO  
 LE FRIDERICO  
 RERO,  
 Almâ Leucorea Celeberrim  
 & Facultatis Juridicæ Assesore  
 vissimo,  
 no, ac Promotore suo usq; & usq;  
 nerando,  
 orum Ventilationi  
 è submittit  
 & RESPOND:  
 IUNDUS Lannen-Ber  
 7. S.  
 rio Jctorum  
 An. 1771 LXXI.  
 AELIS MEYERI.

